

est vniuersale. Quare aliud est querere: an natura a parte rei sit communis: aliud an sit vniuersalis: vnde si ab aliquo Doctore vniuersalis a parte rei appelletur, intelligendum est secundum primum membrum diuisionis Doctoris, quam etiam tradit 7. Metaphys. vt supra: in quo sensu non proprie vniuersalis, sed communis est dicenda.

Vlti. not.

Vltimo notandum; quod aliquid potest dici singulare tribus modis: vno modo per se primo; & est ipsa indifferentia individualis, cui primo, & per se, repugnat diuidi in plura, quorum quodlibet sit ipsa: alio modo per se, sed non primo; & est ipsum singulare: Petrus, verbi gratia: qui licet per se sit indiuisibilis in plura, non tamen primo: nam hoc sibi competit ratione singularitatis, per quam in esse singularis constituitur: vltimo aliquid dicitur singulare denominatione, & per accidens: & est natura contracta, & singularizata, quae nec per se primo, nec per se non primo dicitur singularis: quia natura creata, vt sic, non includit essentialiter in suo conceptu singularitatem: vnde cum singularitas sibi accidat, dicitur denominatione, & per accidens singularis nuncupatur.

1. Conclu.

Dicendum primo. Nec fundamentum propinquum vniuersalis Logici, nec ipsum vniuersale Logicum, quod proprie vniuersale pro formali dicitur, datur a parte rei. Hae est communis in omni Schola: & expresse eam docet Doctor in secundo, vt supra literal. vbi sic ait: est ergo in re commune, quod non est de se hoc, & per consequens ei non repugnat esse non hoc: sed tale commune non est vniuersale in actu: quia deficit illa indifferentia, secundum quam vniuersale complete est vniuersale. Hae Doctor: sed cum talis indifferentia sit positua, & per intellectum, ex notabili secundo, sequitur quod natura sic abstracta erit indifferens per intellectum: ac per consequens, natura, vt est fundamentum propinquum vniuersalitatis; ac ipsa vniuersalitas Logica eam denominans, habebunt esse per intellectum. Quare decipiuntur Thomista illi, qui dicunt Doctorem Subt. oppositum huius conclusionis docuisse: vt patet ex loco citato: & ita argumenta, quae contra ipsum conficiunt, hanc nostram conclusionem probant: videantur apud Suarez, & Araujo: vbi supra.

2. Conclu.

Dicendum secundo. In ipsis rebus a parte rei dantur naturae communes reales, quae sunt fundamentum remotum Logicae vniuersalitatis. Hae debet esse communis omnibus realibus, cum Aristor. contra Nominales disputantibus: probatur primo Auctoritatibus: nam Aristor. primo Metaphys. cap. 6. reprehendit Heraclitum, & Cratylum, eo quod dicerent, in rebus nihil esse praeter singularia. Et septimo Metaphys. text. 17. & 13. affirmat definitiones dari de vniuersalibus. Et 1. Poster. text. 5. 11. 33. 39. & 43. dicit, scientiam esse de vniuersalibus, quae in singularibus existunt, & ab illis abstrahuntur: & idem habet 1. Metaph. cap. 1. & in eodem sensu inquit primo de interpretatione cap. 5. rerum alias esse singulares, alias vniuersales. Tandem Anselmus

epist. de Incarnatione Verbi docet: quod communendi sunt illi vtique nostri temporis Dialectici, qui non nisi statum vocis vniuersalia appellant.

Secundo probatur ratione: secluso omni actu intellectus plus conueniunt Sortes, & Plato, quam Sortes, & Brunellus: sed illud, in quo conueniunt, non est vnum numero, & singulare: nec est terminus: quia circumscripso omni termino, adhuc conueniunt a parte rei: ergo a parte rei aliquid est illis commune, in quo conueniunt.

Tertio, a parte rei animal est diuisum per rationale, & irrationale: sed animal, quod sic diuiditur, non est quid singulare: ergo est quid commune in rebus.

Quarto, aliqua sunt propositiones necessariae, quarum praedicata nequeunt a parte rei vobis conuenire, nec etiam singularibus: ergo conueniunt naturis communibus. Antecedens patet: haec propositio: homo est perfectissima species animalium, non potest conuenire voci, cum a parte rei, nulla voce prolata, sit vera: nec conuenit alicui singulari: cum inter singularia non detur ordo; vt vnum sit alio perfectius: ergo conuenit naturae communi. Similiter in ista: homo est animal: animal non praedicatur de voce, vt patet: nec de Petro; quia etiam Paulus est animal: ergo praedicatur de aliquo communi illis.

Dicendum tertio, quodlibet natura in singularibus re, certa, quae ab intellectu vniuersalis denominari potest, in illo priori, quo singularitatis praetelligitur, est a parte rei communis, & indifferens negatiue ad quamcunque singularitatem diuisim. Hae est Doct. locis citatis, & omnium suorum, contra Thomista relatos: sed nescio, quomodo eam negare possunt: quin in opinionem Nominalium incidant: est in eam incidere recusant; saltem in eadem contradictionem: nam contra Nominales fatentur dari naturas communes reales in ipsis rebus: ita Suarez sect. 2. & Caietan. de ente, & essentia cap. 4. quae 7. & Pater Gallego in sua Logica controuers. 9. in principio, & postea hoc negant; dum asserunt; hanc communitatem esse per intellectum; vt fatetur Caiet. sed esse commune a parte rei, secluso intellectu, & non esse commune nisi per intellectum, videtur contradictio: igitur Thomista non stant in testamento suo. Sed quid quid sit de eorum opinionibus: probatur primo nostra conclusio auctoritatibus pro secunda conclusione adductis: non enim intelligi potest dari naturas communes a parte rei; quin habeant indifferentiam priuatiuam, & aptitudinem remotam ad essendum in multis diuisim. Igitur.

Respondet Suarez sect. 1. quod in illis auctoritatibus loquitur Aristor. de vniuersalibus pro fundamento; quatenus genus, & species, habent vnitatem formalem in rebus; vel quatenus sunt aliquo modo in illis: sed ex hoc non sequitur (inquit) quod natura, quae est in Petro sit communis Paulo, nisi propter similitudinem, quam habent inter se vnitates naturarum, & in diuisorum.

3. Conclu.

Nota contra Thomistas.

Sed

Sed contra: nam vel Aristoteles disputans contra Platonem posuit naturas communes in rebus, vt nos ponimus; vel non: si hoc secundum: ergo inmerito reprehendit Platonem: si primum: ergo vel dantur in ipsis singularibus, vel ab ipsis separata: hoc secundum non admittit Aristoteles: ergo primum: & tunc vel ex natura sua sunt communes, vel singulares: non hoc secundum: quia esse ex se singulare tantum competit naturae diuinae: ergo primum: scilicet quod sunt ex se communes a parte rei, sed quidquid est commune est per ordinem ad plura: ergo quaelibet natura secundum Aristor. est ex se a parte rei communis pluribus: non positiue, vt infra dicemus: ergo negatiue, & per non repugnantiam diuisim.

Praeterea, inquiri: vel illa similitudo duarum naturarum, & vnitatum, in duobus indiuiduis fundatur in conuenientia alicuius naturae communis per intellectum, vel a parte rei: si hoc secundum habetur intentum: nam idem natura, quae est in hoc indiuiduo, est similis a parte rei naturae, quae est in illo; quia haec natura conuenit cum illa: & idem conuenit, quia habet eadem praedicata communia, sicut & illa: ergo cum talia praedicata ex se non determinant magis hoc indiuiduum, quam illud; sequitur; quod talis natura ex se a parte rei erit etiam communis indiuiduo alterius naturae, quae conuenit cum illa; & e contra. Si autem primum dixerit: eundem discursum conficiat: quia conuenientia per intellectum non potest dari nisi praesupposita conuenientia reali: nam si ita non esset; non apprehenderetur natura communis (vt ipse fatetur) sed fingeretur. Igitur.

Tandem Doctor iste contradicens Scoto, sibi ipsi contradicit: quia hic ait dari in rebus vnitatem formalem, distinctam saltem ratione a numerali, conuenientem per se vnicuique naturae; quae natura secundum ipsum sectione secunda est in ipsis rebus existens: & quando denominatur ab intellectu vniuersalis, non fingitur esse communis, sed solum apprehenditur, & intelligitur. Ex qua doctrina, sic contra eum, pro nobis, argumentor: ista natura communis, cui conuenit per se vnitatem formalem distincta a numerali, vel est a parte rei in vno indiuiduo communis ex se alteri, vel sibi ab intrinseco repugnat: si primum: habemus intentum: si secundum: ergo a parte rei talis natura est ex se singularis: quod ipse negat: ac per consequens intellectus non poterit illam a sua singularitate (salua eius essentia) denudare: nec ipsa natura poterit per propriam speciem representari; nec vt vniuersalis sine figmento apprehendi; quae omnia absurda sunt, & ab ipso Auctore minime conceduntur. Igitur, &c.

Secundo probatur conclusio: si natura de se a parte rei esset singularis, non posset intelligi sub opposito modo, scilicet sub vniuersali: sed hoc est falsum: igitur a parte rei est communis: consequentia patet: quia si a parte rei

ex se non est singularis, necessario ex se debet esse communis: minor etiam constat: quia naturas cognoscimus vt vniuersales, & non sub opposito modo sibi ab intrinseco repugnante: maior probatur: quia singulare, & vniuersale opponuntur: ergo si natura a parte rei ex se est singularis, non potest, sine repugnantia, vt vniuersalis apprehendi.

Tertio, si homo, & animal, vt sunt naturae communes, habent esse solum a ratione, erunt tantummodo, dum sunt; sicut secundae intentiones, quae durant, dum solum sunt ab intellectu: sed hoc est absurdum: vt patet. Igitur.

Quarto obiectum scientiae realis debet esse a parte rei reale: sed tale obiectum est commune: ergo a parte rei antecedenter ad singularitatem datur natura communis negatiue.

Respondet Suarez sectione quinta in fine, quod scientia datur de vniuersalibus; non quod a parte rei sit aliqua communitas: sed quia ex similitudine, & conuenientia, quam habent indiuidua in essentia, & in connexionione essentiae, & proprietatum eius, abstrahuntur conceptus obiectiuus, ex quibus fiunt vniuersales praedicationes perpetuae, ac necessariae veritatis: & hoc est dari scientiam de vniuersalibus.

Sed contra: ista conuenientia, quam habent Petrus, & Paulus, in natura humana, ex qua formatur conceptus iste obiectiuus, vel est ratione alicuius naturae communis illis distinctae a duabus humanitatibus, quae diuisim sunt in illis: vel est conuenientia in qualibet humanitate sigillatim, quatenus humanitas Petri est in omnibus similis humanitati Pauli: vel talis conuenientia est respectu vtriusque humanitatis simul, ita vt non ab vna sola possit talis conceptus formari. Primum est impossibile: tum quia hoc tantum competit naturae diuinae, quae positiue, & realiter est in tribus suppositis: maxime quia illa talis natura superflueret. Si tertium dederis erit impertinens ad communitatem, & indifferentiam priuatiuam; cum quaelibet, sicut & vtraque, sufficiat; vt patet in naturis vnicum tantum indiuiduum habentibus; a quibus, non a duabus, cum non dentur, sed ab vna tantum, format intellectus conceptum specificum communem obiectiuum. Si autem secundum admiseris: ergo quaelibet natura; vel est alteri similis; est communis negatiue, quod est intentum, patet: quia ideo natura Petri est similis naturae, quae est in Paulo: quia sicut illa est Petro de se communicabilis, ita & ista est Petro de se communicabilis: nam aliter non posset esse conuenientia indiuiduorum in vna natura, ex qua intellectus conceptum communem multis formare posset: quoniam si natura, vt sic, est propria tantum vnicuique indiuiduo, ita vt alteri repugnet, non conceptus communis, sed singularis formabitur. Igitur, &c.

Vltimo probatur conclusio: si a parte rei non darentur naturae communes antecedenter ad singularitates, homo, & equus, non differerent realiter specie; sed solum per intellectum, & similiter animal, & lapis: hoc est falsum: igitur minor patet: nam omni-

omnibus compertum est. naturam hominis a parte rei esse aliam a natura equi: maior probatur: nam si communitas illarum naturarum est per intellectum, etiam distinctio fundata in illa communitate erit per intellectum; ac per consequens homo, & equus, vt dicunt naturas communes distinctas, distinguuntur per intellectum, & non a parte rei: & ita cessabit distinctio specifica fundamentalis a parte rei, quod non est concedendum. Igitur, &c.

*Vltima conclusio.*

Dicendum vltimo: natura in quocunque indiuiduo a parte rei est ex se apta ad essendum in pluribus diuisim. Hec ex precedente conclusione constat: & breuiter probatur: aptitudo quaelibet est realiter ipsamet natura, cuius est aptitudo: ergo aptitudo naturae communis erit ipsa natura communis: sed natura in quolibet indiuiduo est communis ex se: ergo est apta ex se ad essendum in multis: non simul: quia hoc implicat naturae creatae: ergo diuisim. Itaque natura ex se non magis sibi determinat hanc singularitatem, quam illam: sed ad omnes est indeterminata negatiue, & apta per omnes determinari: licet, vt facta est propria vnus indiuidui, sibi repugnet esse sub alio, non ex se; sed ex singularitate, cui ab agente coniungitur.

Dices: natura Petri in illo priori est apta esse in Paulo, & in omnibus indiuiduis: & similiter natura Pauli: & sic de singulis: igitur quot sunt indiuidua, tot erunt naturae specificae: ac per consequens tot species distinctae predicabiles: cum vna quaeque sit apta fundare secundam intentionem speciei, respectu multorum indiuiduorum: quod est absurdum.

Respondeo distinguendo vltimum consequens: respectu indiuiduorum alterius speciei: concedo: respectu indiuiduorum, quibus sunt communes: nego consequentiam: quia vt sic tantum vniam intentionem speciei fundare possunt: cum quaelibet harum naturarum aequae talibus indiuiduis conueniat.

Contra: istae naturae aequae possunt predicari de suis indiuiduis: ergo possunt omnes de vno indiuiduo predicari: cum omnia indiuidua sint eiusdem rationis: & sic de Francisco mille naturae poterunt predicari: ac per consequens esse de quidditate illius: quod videtur absurdum.

Respondeo, aliqua praemittendo. Primum: quod aliud est loqui de singularitate actu contrahente naturam, & aliud de ipsa actu non contrahente: primo modo singularitas facit actu vnum indiuiduum cum natura: & ita natura contracta cum tali singularitate nequit intelligi prior ipsa singularitate: quia tunc esset contracta, & non contracta: quare vt sic non habet ad alias singularitates aptitudinem, nec proximam, nec remotam; vt optime hic, quaest. tertia articulo tertio, probant Coninbricenses: secundo vero modo singularitas non facit actu vnum indiuiduum, sed est apta nata facere illud: quia est in potentia contrahens, & natura in potentia contrahibilis.

Secundo praemitto: quod quando dicimus

naturam predicari de indiuiduo in quid, non intelligimus naturam predicari in quid de singularitate: quia singularitas est extra quidditatem naturae, & ita natura tantum de illa denominatiue dicitur: sed predicari in quid speciem de indiuiduo est, speciem sumptam in concreto dici de indiuiduis in concreto, prout ex natura, & singularitate constant. Itaque talis praedicatio naturae de indiuiduis conuenit ipsi ratione naturae, quam in se contractam habent: & hoc est etiam indiuidua conuenire in natura: quia quodlibet in se habet naturam eiusdem rationis.

Vltimo praemitto: quod si per impossibile tantum essent decem indiuidua actu existentia, siue si in actu tantum essent decem naturae contractae in indiuiduis: quia natura in actu non est, nisi in indiuiduis: si per impossibile, inquam, hoc esset: quando dicimus: quod indiuidua conueniunt in natura communi: & quod natura de ipsis in quid praedicatur: non debemus intelligere vniam naturam in communi, aliam ab illis decem: sed sic est nobis intelligendum: quod eadem natura, quae est in vno indiuiduo, ipsa praedicatur de illo, & de omnibus alijs, quatenus in illo priori consideratur ante propriam singularitatem: quia, vt sic, ipsa est contrahibilis, & cum quacunque singularitate est apta nata indiuiduum constituere, & esse de quidditate illius. Ex quo fit: quod dicitur predicari in quid de illo, & de omnibus alijs: non vero vt iam est contracta in vno indiuiduo: quia tunc solum de se ipsa quidditatiue praedicatur: sed vt est contrahibilis, & singularitates omnes sunt illius contrahentes. Est enim praedicari in quid naturam de indiuiduis, ipsam, vt contrahibilem, aptam esse constituere indiuiduum cum singularitate. Et per haec patet ad obiectionem: non enim inconuenit plures naturas esse aptas predicari de vno indiuiduo; licet inconueniat plures de illo in actu predicari, vt intendit obiectio.

Ad argumenta primae sententiae: ad primum distingo antecedens: quidquid est in mundo est singulare, ita vt singularitas sit de essentia, & quidditate illius: nego: est singulare, hoc est, quidditas cuiuscunque rei est sub singularitate; ita vt singularitas sit modus tantum: concedo antecedens, & nego consequentiam: ad probationem dico: quod creatio, & generatio, non terminantur praecise ad singularitatem, sed ad singulare, hoc est, ad naturam sub singularitate: ita Doctor in primo distinctio 36. & in tertio distinctio 2. Leuchetus, quaest. 13. quodlib.

Ad secundum dico: quod est vtrumque simul: est enim natura per se, & ex se, communis; & per accidens singularis: quia singularitas sibi accidit. Ad maximam ibi adductam respondebitur solutione ad vltimum pro secunda sententia.

Ad argumenta secundae sententiae: ad primum nego minorem: nam vt art. sequente dicemus, natura ex se habet existentiam sibi propriam ab existentia

*Ad primam sententiam.*

*Ad secundam.*

*Ad primam pro secunda sententia.*

sentia singularium distinctam. Vel si existentiam propriam naturae concedere recuses: dicit quod Maxima est falsa: sufficit enim, vt natura communis habeat per accidens a parte rei existentiam singularis: ex se enim sufficit, vt habeat entitatem pluribus communicabilem, & aptam existere in illis.

*Ad secundam.*

Ad secundum patet ex solutione ad primum pro prima sententia: est enim omnis res existens in rerum natura per accidens singularis: ex se autem est communis a parte rei, & non per intellectum: etiam si talis natura existens negatiue sumatur: vt vult Caietanus: nec fundamenta sua soluant argumenta Doctoris; vt optime probat Pater Fabrus Theorem. 93. quia Doctor sumit naturam secundum se; licet sit in indiuiduis contracta; non tamen sumit eam, vt contractam: nec Doctor in hoc argumento: natura a parte rei de se non est singularis: ergo est communis: arguit a propositione negatiua ad propositionem affirmatiuam de praedicato infinito; sed a negatione vnus contrarij ad aliud: quae consequentia est validissima ex Aristotele, capite de oppositis, quando contraria non habent medium: vt si arguatur: numerus binarius non est impar: ergo est par. Ita in proposito: natura de se non est haec: ergo est communis: quia inter commune, & singulare, non est medium. Et in hac forma procedunt nonnulla argumenta Doctoris: in quorum intelligentia, vt solet, potius deceptus est Caietanus.

*Ad tertiam.*

Ad tertiam nego antecedens: ad probationem primam, nego maiorem: nam vt articulo sequente dicemus: natura ex natura rei distinguitur a singularitate: ad secundam probationem dico: quod humanitas in Petro per accidens est contracta; & ita non potest realiter contrahi ad Ioannem: ex se tamen non dicit repugnantiam ad contrahi per omnes singularitates, sed est ex se indeterminata ad omnes: nec haec sibi contradicunt: natura est determinata ad hoc, & indeterminata ad plura: nam esse determinatam conuenit naturae per accidens, & ex aliquo extrinseco: esse vero indeterminatam conuenit illi ex se, & ab intrinseco: quae duo sibi non contradicunt; vt patet.

*Ad quartam.*

Ad quartum dico: quod Regula illa debet intelligi de praedicatis praedicamentibus, & non de transcendentalibus: & ita negatur consequentia: humanitas enim: verbi gratia, dupliciter consideratur: vel vt natura transcendens, sicut & quaelibet natura communis: & vt sic, communitas est praedicatum eius in secundo modo, quod non potest inferioribus conuenire: vel consideratur vt natura praedicamentalis: & ita quidquid praedicatur de illa, praedicatur de suis inferioribus, quod non contingit in praesenti.

Secundo dico: quod superius praedicatur de inferiori specificatiue sumpto, & prout includit superius; non vero reduplicatiue sumpto: nam in hoc secundo sensu est praedicatio denominatiua: Petrus enim specificatiue est risibilis formaliter: at vero reduplicatiue, haec est deno-

minatiua: Petrus est risibilis: quia homo non praedicatur de petreitate; nisi denominatiue: ita in proposito indiuiduum specificatiue est commune, non vero reduplicatiue.

*Ad vltimam.*

Ad vltimum dico: quod Maxima illa absolute est falsa: aqua enim licet sit per se secundo modo frigida, per accidens tamen est calida: quare, vt sit vera, tantum tenet in praedicatis essentialibus; vel si teneat in omnibus; debet intelligi cum Doctore quaest. vltima Prologi: quod oppositum nequit illi conuenire in eodem modo, quo sibi opponitur: & cum communitas conueniat naturae in secundo modo, singularitas in tali modo non potest illi conuenire: quod verum est: quia singularitas non est praedicatum in primo, nec secundo modo ipsius naturae; & ideo illi non conuenit per se. Vel vt melius dicam; communitas opponitur incommunicabilitati, & haec non potest ex principijs naturae ipsi conuenire; bene tamen per aliquod extrinsecum, scilicet licet per singularitatem.

ARTIC. II.

*An natura communes distinguantur a parte rei ab ipsis singularitatibus?*

PRIMA sententia, quae communiter tribuitur Platoni in Timaeo, asserit dari a parte rei naturas communes, & vniuersales; a singularitatibus realiter distinctas, quas ipse ideas appellabat; assereratque esse immateriales, & incorruptibiles: vt ita errore Heracliti, & Cratylly, dicentium omnia entia contingentia esse corruptibilia, fugerent, & vitarent: quae quidem sententia, seu potius fictio, probatur hoc vnico argumento: scientiae dantur de vniuersalibus, perpetuis, & necessarijs: sed quidquid est in singularibus exitus est corruptibile, & contingens: ergo necessario danda sunt naturae communes a singularibus separatae; de quibus scientiae dari possint.

*1. Sententia.*

Secunda sententia est apud Thomistas communis: qui sicut negant dari a parte rei distinctionem formalem; ita affirmant naturas communes tantum ratione a singularitatibus distinguuntur: ita Suarez, vt supra sectione prima, & disputatione quinta, sectione secunda; & Conimbricenses in praesenti: & probatur primo. Si natura humana Platonis est actu distincta ab eius differentia indiuiduali, poterit absque dubio sine illa concipi: & idem dicendum est de humanitate Socratis: concipiantur ergo; & conferantur inter se: vel differunt, vel sunt omnino idem: hoc secundum est absurdum: quia cum illi duo homines realiter differant, non possunt humanitates in eis existentes idem prorsus esse: si detur primum: ergo aliquid habent a parte rei inimum illae naturae, per quod differant: sed id non est ipsa natura humana, in ea enim conueniunt; & non differunt: ergo sunt differentiae indiuiduales: ac proinde actu a natura differre non possunt.

*1. Argum.*